

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

CXLIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

CXLIIL.

CHARTA BERTOLDI ET BELREMI FRATRUM DE
WIZENSTEIN, QUA CASTRUM SUUM LIEBENEKE ET
VILLAM WIRME CUM UNIVERSIS BONIS INDE
PENDENTIBUS IN RUDOLFUM I. MARCHIO-
NEM BADENSEM LIBERALITER
TRANSFERUNT.

A N N O M C C L X I I I .

Ex autographo Bada - Durlacensi.


In nomine Domini. Nos Bertoldus Advocatus & Belreimus fratres de Wizenstein, insinuatione presencium cupientes vniuersorum noticie declarari, quibus datur hæc literalis pagina demonstrari, quod nos habita diligenti deliberacione super eo quod illustri Domino nostro *RUDOLFO, Marchioni de Baden*, debito fidelitatis & homagii tenemur astricti, recognoscentes nobis ab ipso suisque progenitoribus multimoda beneficia prouenisse & ex hoc ad antidota nos teneri, omne jus, quod habuimus uel habere uisi sumus in Castro *Liebenecke*, quocunque titulo uel quocunque modo, liberaliter transferimus & assignamus in manus Domini nostri predicti, volentes & affectantes, ut plenum dominium & libera ac absoluta possessio tam in jam dicto Castro quam in villa *Wirme* & aliis

H h 2

attinentibus possessionibus in villis & agris, cultis & incultis, hominibus & mancipiis, pratis & pascuis, viis & inuis, nemoribus & uirgultis, molis & molendinis, aquis aquarumve decursibus, piscationibus & venationibus, cunctisque juribus aliis ad ipsum Castrum quocunque modo spectantibus, ad eundem dominum nostrum pleno jure debeat pertinere, & renunciamus omni juri, vtilitati & honori, possessioni & dominio, que in predictis tenuimus & ad nos, ut dictum est, quocunque modo spectabant, verum tamen villam *Huochenvelt*, quasi sub nostro dominio conseruatam, titulo feudali concessimus personis subscriptis, videlicet Cunrado dicto Colbe, filio Alberti Colbonis militis in Castro Vurfstenecke residenti, Bertoldo dicto Widenér de Ingersheim, Liotwino de Glatebach. Sibotono de Hule. Alberto de Helfenberc. Cunrado & Sibottone fratribus de Schonowe. Volentes, ut ex hoc feodo debitum nobis homagium recognoscant. Permittimus tamen & liberaliter annuimus, ut predictæ persone liberam habeant facultatem transferendi predictam villam feudatam à nobis, in manus & potestatem sepe dicti Domini nostri Marchionis, non obstante homagio nobis facto. Vt igitur ea, que premissa sunt, singula & vniuersa, rata & inconuulsa permaneant, presentem litteram sigillo nostro & nobilium virorum Conradi de Rossewac, Reinhardi, Kimonis de Baden & Bertoldi de Remchingen sigillis fecimus roborari. Ego Belreimus, sigillo proprio carens, appensione sigilli fratris mei Bertoldi, aduocati sum contentus. Acta sunt hec aput *Eteningen*, quarto Kalendarum Septembris, Anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, presentibus hiis, quorum sigilla presenti littere sunt appensa. Presentibus etiam Conrado de Rother. Hugone de Werbenwac. Sifrido de Otenkein & Borchardo, di-

cto Burner, militibus. Heinrico de Barchusen & Walthero de Eberstein, notariis dicti domini Marchionis. Conrado Aduocato de Remchingen & Blicgero de Steinach & aliis quam pluribus fide dignis.

|| || || (L. S.)
Bertholdi de Remichingen.



CXLIV.

BERTHOLDUS DE BADEN MILES VENDIT GERDRUDI MAGISTRE IN SICENKILCHE POSSESSIONES SUAS IN MULNHEIM CUM ADVOCATIA.

ANNO MCCLXVI.

Ex tabulario Abbatiae S. Blasij.

BERTOLDUS *de Baden* miles noticiam rei geste. Notum facio presentibus & futuris. Vendo & dono religiosis feminis Gerdrudi magistre & Conventui in Sicenkilche ordinis S. Benedicti - - - possessiones meas sive predia que habui in Mulnhaim cum Advocatia, accedente consensu Domini mei nobilis viri E. Dei gratia Comitis de Vriburch - - - & ad hoc nos nostrasque possessiones de Adilboltshoven dicto Monasterio contiguas presentibus obligamus.

Ut autem hec maneant firmiora hanc paginam sigillo Domini mei & meo Magistre & conventui tradidi communitam. Nos C. Comes de